¶ Nõ ne hmõi in tali re conceſſio, magna de ſupernis eſt irriſio. Eſt enim in cœlis nonnulla irriſio, dicente Pſalmiſta: Qui habitat in cœlis irridebit eos. Et quis unquàm ſenſatus rem uidit uel audiuit, quæ ſuperna ſit irriſione dignior, quã fuit uel eſt mundi huius ſtudium in generando, uel unum pro exemplo ſiue experimento iſtud accipe. Gentes inſanæ, & ipſi qui ſibi ſapiẽtes uidebant Romani, proletarios decreuerũt in urbibus eſſe, proletarios ab eo dictos, qꝓ nullam habẽtes occupationẽ, tm̃modo ſufficiẽdæ proli uacarẽt. Infęlices ac miſeri, ad quid ſufficiẽdæ proli. Nimirꝫ ad occidendũ, ut non deeſſet diabolo, unde quotidianũ fere poſſet habere ſanguinis humani ludibriũ, quotidianũ ſpectaculũ, qm̃ educebant dietim morituræ legiones in pręliũ, ubi uelut arida ſtipula cedebant, ne dicã milia hoĩm, potius miriades legionũ. Quis nõ audiuit, imò qs audire ſuffecit, cui legere uel audire uacauit à cõſtitutõe mundi cõtinuas mortes hoĩm, ferro, fame, atqꝫ peſtilẽtia pereuntiũ? Taceo de mortis cõditõe cõmuni quã iuſtitia, imò miſericordia cœleſtis om̃i generi humano indixit, dicẽdo: quia puluis es & in puluerẽ reuerteris, ne uidelicet in anima mortuus, uita carnis hõ in æternũ uiueret, rapiendus ad iudiciũ, nõ interueniẽte morte, ut dæmones, qbus nõ morientibus iudiciũ æternæ mortis repoſitũ eſt. Inde nũc ſermo ẽ, qđ hoĩes mortẽ naturalẽ nõ expectãtes, toties tã mlt̃is in prælijs, tantis milibus ſeſe colligerũt atqꝫ cõuenerũt, ruẽtes in ferrũ ut cẽtenaria miliũ morientiũ, mirer ſi quis ex hiſtorijs numerare uelit ſatis admirari poſſit. Ad hoc negociũ inter cæteras inſanias, proletarios quoqꝫ (ut iam dictũ eſt) ſibi in urbibus collocauerũt, ne deeſſent alij q occiſis alijs, ſubſtituerẽtur ad occidendũ. Nõne igĩ uel ꝓ hac ſtultitia dignum ſe fecit

Superna irriſio contra generatiões mũdi.

Pſal. 2.

Proletarij.

Gene. 3.

mundus,

mundus, ut ille qui habitat in cœlis irrideret eum, dicens: intra in lutum, & calca ſubigens,
tene laterẽ & cætera uſq; ad id, plures feciſti negotiatões tuas q̃ ſtellæ ſunt cœli .i. ſicut iam
diximus, plures morti & inferno generaſti, q̃ ſint uel eſſe debeant omes electi, propter quos
Stellæ cœli, fi ut naſcerent, deus maſculũ & fœminam fecit & benedixit eis? ¶ At uero ipſæ ſtellæ cœli .i.
lii bñdictões. electi dei, filij benedictionis ſub hac irriſione plorant, & ſemetipſos deflent, recolentes illud
lutum ſuæ originis initium, de quo hic dictum intelligimus: intra in lutum, & ſemetipſos cõ
Eſa. 64. fitentur lutum eſſe, & plorantes dicunt: Et nunc dñe pater noſter tu es, nos uero lutum, & fi
Iob. 10 ctor noſter, & opera manuum tuaꝝ omnes nos. Item & quilibet eoꝝ dicit: Memento quæ
ſo quod ſicut lutũ feceris me, & in puluerem reduces me. Nonne ſicut lac mulſiſti me? Hæc
Pſal. 94 dicendo utiq; præoccupant, ſiue præueniunt faciem eius in confeſſione. Nam quaſi oblitus
deus ſit, de q̃ fragili, q̃ uili illos materia fecerit, de quibus cœleſtem fortitudinẽ exigit ut for
tes ſint, & in cœlum fortiter aſcendere uelint, & ſtationes habere, quaꝝ ſimilitudinem quan
dam præferunt uiſibiles ſtellæ cœli, de quibus mentionem præſenti loco fecit, dicendo mũ
do huic: Plures feciſti negotiationes tuas, q̃ ſtellæ ſunt cœli: reducunt illi, uidelicet creatori,
ſiue plaſmatori ad memoriam unde eos fecerit, ſiue plaſmauerit. Nunquid ergo his qui eiuſ
modi ſunt, dicere nouit deus tale quiddã: intra in lutũ, & non potius operi manuũ ſuaꝝ porri
gere dexteram, ut non intrent in lutum? Sed & ſi intrat ordinato introitu .i. ſecũdum legem,
quam ipſe poſuit, qui maſculum & fœminam creauit, & benedixit: non pertinet ad eum irri
ſio hęc eius, qui habitat in cœlis? Quare? Videlicet quia cauſam non habent eandem, quã
hic præmiſit ſcriptura, dicens: propter obſidionem. Quæ nam cauſa eſt, quæ ſignificatur, di
cendo: propter obſidionem, niſi illa propter quam reprobantur à deo filij huius ſeculi, quia
uolunt habere hic manentem ciuitatem? Propter iſtam cauſam, quaſi neceſſario, quaſi ratio
nabiliter ruebant gentes in libidinem, & uterq; ſexus quaſi aquam fundebat, atq; hauriebat
immoderatam carnis uoluptatem. ¶ Vnde notandum, q̃ proprijs partibus cuiq; exprobrat
ſexui. Fœmineo uidelicet, dum dicitur: aquam hauri tibi, uirili, dum dicitur: intra in lutum.
Nam quod aquam haurire, hoc ſit mulieri, intemperanter uirum ſubire, de illa ſapientis ſen
Ecci. 26 tentia conſtat, qua dicit: Sicut uiator ſitiens ad fontem os ſuum aperiet, & ab omni aqua pro
xima bibet. Itaq; hoc modo extruere munitiones, ſcilicet muliere hauriente aquam, uiro in
trante in lutum, hoc eſt, propter cauſam ſupra memoratam, certatim morituras ſupplere le
Roma. 1 giones. Taceo de illa parte extrema turpitudinis, quam Apoſtolus merito horreſcens terri
biliter percutit, quia fœminæ eoꝝ immutauerunt naturalem uſum, in eum uſum qui eſt cõ
tra naturam, ſimiliter & maſculi, relicto naturali uſu fœminæ, exarſerũt in deſiderijs ſuis, in
uicem maſculi in maſculos turpitudinem operantes. Sufficit ad præſentis ſcripturæ intentio
nem, exprobrare illud quod aliquam habere uidebatur rationem, ſcilicet quod multos face
rent filios, propter obſidionem, propter uendicandam terræ habitationem, ſiue quamlibet ci
uitatem. Non (inquam) pertinet ad eos irriſio hæc, dicẽtis: intra in lutum, & cætera, neq; ibi,
Conſiliũ Apo ſiue propter illud comedet eos ignis, aut peribunt gladio, aut deuorabit eos bruchus, uerũ
ſtoli. tamen hoc tempore beatiores ſunt, qui permanent ſecundum Apoſtoli conſilium, ut uide
j. Corint. 7 licet qui ſolutus eſt ab uxore, nolit quærere uxorem, & qui habent uxores, tanq̃ non haben
tes ſint: illud quoq; inter cæteras tribulationes carnis reputantes, ne forte q̃d generant, ueni
at ad numeꝝ ſtellaꝝ cœli, quoniam hic ita dictum eſt: Plures feciſti negotiatiões tuas, q̃ ſtel
læ ſunt cœli. Deniq; & patribus & patriarchis, quoꝝ primo Abrahæ dixerat deus: Suſpice
Gene. 15. cœlum, & numera ſtellas, ſi potes. Ac deinceps: Sic (inquit) erit ſemẽ tuum. Ipſis (inquam)
patribus contigit plures facere negotiationes, q̃ ſtellæ ſunt cœli .i. ut non omes, quos ipſi ge
Mala. 1. rauerit, pertinerent ad numeꝝ ſtellaꝝ eiuſmodi. Nonne frater Eſau erat Iacob (ait dominus)
& dilexi Iacob, Eſau autem odio habui? Sequitur: ⌊ **Bruchus expanſus eſt, & auolauit.**
**Cuſtodes tui quaſi locuſtę, & paruuli tui quaſi locuſtę locuſtarum, quę conſidunt in**
**ſepibus in die frigoris. Sol ortus eſt, & auolauerunt, & non eſt cognitus locus eo**
**rum, vbi fuerint** ⌋ Quia dixerat: congregare ut bruchus, multiplicare ut locuſta, immode
ratam atq; ſuperfluam uolens intelligi generationum atq; conceptuum infelicium abundan
tiam, quæ ueluti pennati uermiculi de carne huius mundi quotidie naſcẽdo ſcaturiunt, per
manens in metaphora, grande uanitatis eoꝝ ridiculũ pãdit, ſic incipiens: bruchus expãſus eſt,
& auola

& auolauit. Quãti em̃ æſtimat exaltationẽ, ſiue dilatationẽ filiorũ huius ſeculi, cõparando illos brucho expanſo, & auolanti? Collaudatio in omnibus ſancto ſpiritui, qa congruã illis ſimilitudinẽ inuenit. Exempli gr̃a: Alexander magnus, cuius regnũ apud prophetã Iohel per bruchũ intelligimus, qñ fere uſq; ad fines terræ ſeſe magnificauit, natus (ut fertur) de inceſtu, ex Olympiade uxore Philippi Macedonis, nõne bruchus uermis expanſus fuit? At ille expãſus auolauit. i. uelociter deceſſit, ſcilicet ætatis ſuæ anno triceſimo primo, regni aũt duodecimo. Quid ſi qs alius aliqt mẽſibus uel annis ſeſe expãdendo diutius durauit? Num diuturna expanſio cuiuſquã debet ę ſtimari, quantorũlibet annorũ fuerit? Nimirum qui pluribus annis uiuẽs in hoc ſeculo ſeſe dilatauit, breui expanſione ſeſe expandit, & cito deceſſit. Illũ deceſſiſſe, bruchũ auolaſſe eſt, & pulchre, nõ dictũ eſt: expãſus eſt, & uolauit, ſed expanſus eſt, & auolauit. i. non rediturus deceſſit.

Alexander magnus tanquã bruchus Iohel. j.

¶ Quàm leue eſt huius uitæ momentũ, qđ adhuc ipſe, qui habitat in cœlis, irridens. Cuſtodes (inqt) tui quaſi locuſtę, & paruuli tui q̃ſi locuſtæ locuſtarũ? Quinã ſunt tui ò Niniue cuſtodes, niſi ſeculi principes, nõ in deo ſed in ſeculo potẽtes? Iſti igitur uidẽtur eſſe gigãtes, ſed ecce quaſi locuſtæ ſunt. Subſiliãt in curribus, uolitẽt in equis, & in tibijs ſuis glorient̃ iuuẽculi: nã interim ſpectãs eos deſup ſapiẽtia, ridet, & dicit: Florebit amygdalus, impinguabit̃ locuſta. Quidnã eſt impinguabitur locuſta, niſi intumeſcẽt, & tumore ſuo grauabũtur, ſi ad citã ſenectã puenerint, quę nũc ſaliũt crura iuuenilia? Infelix floritio, miſera impinguatio, cũ præ ariditate ſenectutis caniciẽs floreſcit, & ecõtra præ humore inutili, crus aut tibia pingueſcit.

Cuſtodes tui quaſi locuſtę.

Eccle. xij.

¶ Qui porrò ſunt paruuli, de qbus dicit: Et paruuli tui ſicut locuſtæ locuſtarũ, niſi vulgus exile, ſiue populares, aut plebeij, q̃rũ æſtimatiõe dũ adulãtur potẽtioribus, ipſi potẽtes q̃ſi gigãtes ſunt? Vtiq; quãtũlibet adulãdo nõ efficiũt, ut ipſi potẽtes quaſi elephãti, & q ſub eis quaſi boues ſint, aut q̃ſi bubuli, ſed quaſi locuſtę locuſtarũ. i. minimi, portãtes imperia paruorũ. Quàm uero decẽter ſubiungit: Quæ conſidũt in ſepibus in die frigoris, ſol ortus eſt, & auolauerũt, & nõ eſt cognitus locus earũ, ubi fuerint. Videlicet ſecundũ naturã locuſtarũ, quæ eiuſmodi eſt, ut in frigore torpentes, per calorẽ uolitent.

Locuſtæ locuſtarum.

Quid per diem frigoris, niſi tẽpus intelligimus aduerſitatis, quãdo cauſis exigentibus iuſtũ eſt gentẽ quãlibet aut regnũ tribulari? Tũc effuſę multitudines exercituũ tanquã locuſtæ in urbibus, aut circa urbes conſidunt, & tã in uicis, q̃ in agris cũcta conſumũt, exempli gratia: ut Aſſyrij tunc tẽporis aſcenderũt ad uniuerſas ciuitates Iuda munitas, & cœperũt eas, et obſederũt Hieruſalem. Dies frigoris erat. i. afflictionẽ propter ſua merebãtur peccata. Sed ortus eſt ſol, & locuſtæ auolauerũt, qa propitius factus eſt dñs, et una nocte deleta ſunt caſtra Aſſyriorum centũ octoginta quinq; milia hoim. Nõne uelociter auolauerũt locuſtæ eiuſmodi, & nõ eſt cognitus locus earũ, ubi fuerint? Sic ois multiplicitas, ſiue cõgregatio, quã dixerat, cõgregare ut bruchus, multiplicare ut locuſta, uelociter trãſit, & ptrãſibit, permanebũt aũt ſtellæ cœli fixæ in altitudine firmamẽti, de qbus dixit: Plures feciſti negotiatiões tuas, q̃ ſtellę ſunt cœli, qa multi reprobi, pauci ſunt electi.

Dies frigoris

4. Rge. 18.

Sequitur: Dormitauerũt paſtores tui rex Aſſur, ſepelient̃ principes tui. Diſperſus eſt populus tuus ſuper mõtes, non eſt qui congreget, nõ eſt obſcura contritio tua, peſſima eſt plaga tua. Oẽs qui audierũt auditionẽ tuã compreſſerunt manũ ſuper te. Quia ſuper quẽ non tranſiuit malitia tua ſemper?

Ecce in uerbis iſtis iudiciũ illud audimus, de quo mũdũ arguit ſpũs ſanctus, qa princeps mũdi huius iudicatus eſt. Nã rex Aſſur ipſe eſt princeps mũdi huius. Hactenus ſermo erat cõtra Niniuẽ id eſt, cõtra hũc mũdũ, & ſub noie Niniue arguebatur mũdus de peccato, & de iuſtitia, ſicut in initio diximus, nũc ſub noie regis Aſſur, & ipſe princeps mundi huius iudicatus eſſe oſtenditur, ita ut ex hoc loco manifeſtũ fieri poſſit, qđ de iudicio eius recte arguat mundũ ſpũs paracletus, q in iſto propheta loquitur, ſecũdũ nomẽ ipſius, qa Naum ex Hebræo cõſolator interpretat̃: Dormitauerũt (ait) paſtores tui rex Aſſur.

Rex Aſſur diabolus.

Paſtores regis Aſſur hi ſunt, qui, ut ſupra dictũ eſt, intrãdo in lutũ, calcãdo & ſubigẽdo, atq; tenẽdo laterẽ. i. opus generatiõis nimis intẽperãter exercẽdo cõgregati ſunt ut bruchus, multiplicati ſunt ut locuſtæ. In q̃ ſunt uel fuerũt illi paſtores regis Aſſur? In eo uidelicet, qđ pauerũt uel paſcũt oues regis Aſſur, oues occiſionis. i. hoim multitudinẽ ſuperfluã, qui (ut canimus in pſalmo) ſicut oues in inferno poſiti ſunt, mors depaſcet eos. O paſtores infelices, q generauerũt q̃s pauerũt, pa

paſtores regis Aſſur.

runt,pauerũt q̃s generauerũt regi Aſſur,de qbus infernus impleatur,q̃s depaſcendo mors
ſaturaretur.Paſtores eiuſmodi dormitauerũt,ait. Quid eſt dormitauerũt? Mortui ſunt,&
inde laus deo,qa ſic dormitãdo paſcere uel generare regi Aſſur ceſſauerũt.Quid enĩ ẽ,niſi
ſic dormitaſſent,& generare deſiſſent? Cũ adeo cõgregatus ſit bruchus,& intantũ multi-
plicata locuſta,in iſta paſtoꝝ huiuſmodi uita,cũ hodieq; moribũdę carnis tãta ſuperbia,tã-
ta ſit luxuria,ut multitudines naſcẽtiũ,pſæpe peſtilẽtia,fame,beſtijs & gladio,ſuccidi opor-
tuerit,& ꝑterea q̃tidie paſſim demetat eos mors naturalis,& adhuc mũdus plenus ſit,quid
putas fieri potuiſſet,ſi nõ dormitaſſent,aut dormitarẽt iſti paſtores.i.ſi nõ morerẽtur hoĩes
Gene.3. ex q̃ facti ſunt trãſgreſſores regi Aſſur obtẽperãtes.Laus igitur deo,qa dixi: Nũc ergo ne
Miſericors de- forte mittat manũ ſuã,& ſumat etiã de ligno uitæ,& uiuat in æternũ,qa uidelicet,ſi uſq; ad
us inferendo diem iudicij uiuerẽt hoĩes,ut uiuũt dęmones,& generarẽt,qđ nõ faciũt dæmones,q̃ male
nobis mortẽ. fuiſſet,cogitet qui poteſt.Miſericorditer deus homini mortuo morte animę,mortẽ carnis
impoſuit,nec utcũq; mortalẽ,ſed breuiſſimę uitę uoluit eſſe hominẽ.Nã dies annoꝝ noſtro-
Pſalm.89. rũ in ipſis ſeptuaginta anni.Si aũt in potẽtatibus.i.in ualẽtioribus,q diutius durãt,octogin-
ta anni,amplius eorũ labor & dolor. Non ita ante diluuiũ,ſed uiuebãt,alij nongẽtenis,alij
Gene.5. octingentenis,uł ſeptingẽtenis annis.Quia uero propter illã uitę quãtulãcũq; diuturnitatẽ
Gene.6. tã ſuperbi,tamq; luxurioſi fuerũt hoĩes,ut ſcriptura innuit,dicẽs: Gigãtes aũt erãt ſup ter-
rã in diebus illis,& uidẽtes filij dei filias hominũ,qđ eſſent pulchre &c̃. recte & oportune
pro ipſis experimẽtũ uoluit deus notũ eſſe,qđ utiliter hominẽ anima mortuũ,carne uolue-
rit eſſe mortalẽ,cõfirmãdo ſententiã,quã poſuerat,dicens: ne ſumat de ligno uitæ,& uiuat
in æternũ,cõfirmãdo,inq̃,& dicẽdo: Non ꝑmanebit ſpũs meus in hoĩe in æternũ.Porrò
hæc dormitatio.i.carnis per mortẽ diſſolutio,nõ ſolis paſtoribus regis Aſſur,uerũ etiã ſu-
pra dictis ſtellis cœli.i.his,qui ſecũdũ propoſitũ uocati ſunt ſancti,cõmuniter impoſita eſt.
Lucæ.16 Sed uide qđ ſequitur: Sepelientur principes tui. Vbi ſepelientur,niſi in inferno? Mortuus
Ezechi.32. eſt diues(ait dñs)& ſepultus eſt in inferno.Et apud Ezechielem ipſe loquitur: Ibi Aſſur &
omnis multitudo eius,in circuitu illius ſepulchra eius,oẽs interfecti,& q ceciderũt gladio,
quoꝝ data ſunt ſepulchra in nouiſſimis laci.Hoc plus habent paſtores uel principes tui rex
Aſſur,qđ oẽs quidẽ hoĩes,tã boni,q̃ mali,dormitauerũt dormitione corporeę mortis,ſoli
aũt mali ſepelientur in inferno,propter hoc,qa ſunt paſtores uel principes tui.Et nunquid
aliqñ inde huc reuocãdi erũt? Diſperſus eſt(ait)ppłus tuus ſup mõtes,nõ eſt q congreget.
Quod dicit: diſperſus eſt ppłus tuus,hoc eſt,qđ ſupra dixerat,bruchus expãſus eſt,& auo-
lauit,ſol ortus eſt,& locuſtę locuſtarũ auolauerũt. Et qđ dicit,non eſt q cõgreget,hoc eſt,
qđ dixerat,& nõ eſt cognitus locus earũ,ubi fuerint.Cauſa tãtæ ꝑditionis & irreuocabilis
iudicij,ſuperbia eſt.Iccirco cũ dixiſſet: Diſperſus eſt ppłus tuus,addidit,ſup montes.Nãq;
mõtes altitudo illa intelligẽda eſt,quæ eidẽ regi Aſſur apud Eſaiã his uerbis exprobratur.
Eſa.10. Et erit cũ cõpleuerit dñs cuncta opera ſua in monte Sion,& in Hierłm,uiſitabo ſup fructũ
magnifici cordis regis Aſſur,& ſup gloriã,altitudinis oculorũ eius,Igit̃ ſup mõtes.i.prop-
ter ſuperbiã ppłus tuus diſperſus ẽ,qa populus tuus filij ſunt ſuperbiæ,quoꝝ tu es rex Aſſur,
Iob.41. ſicut ad beatũ Iob dictũ eſt de te: Omne ſublime uidet,& ipſe ẽ rex ſup oẽs filios ſuperbiæ.
Nõ ita diſperſus ẽ ppłus tuus,nõ ita diſperſi ſunt paſtores uel principes tui,quo modo diſp-
gitur populus,dũ fugit,ſed ita ut fugere nõ poſſint.& ut ſua quidẽ inuicẽ ſepulchra ſulphu-
Iudæi quoq; re & igne ardẽtia uidere queãt,ſed alter alteri ꝓdeſſe uel adeſſe nõ ualeãt.¶ Sane in diſper-
ſunt populus ſiõe populi huius regis Aſſur,latere nos nõ debet diſperſio ppłi Iudaici,neq; obliuiſci,aut
regis Aſſur. ignorare debemus,qđ ipſe ſit ppłus regis Aſſur,imò ille populus maxime ẽ populus regis
Aſſur,& interꝑtatiõe q̃q; nõis huius maxĩe Iudæi denotãtur. Aſſyrij nãq; dirigẽtes inter-
ꝑtãtur. Et q ſunt dirigẽtes,niſi hij q ſemetipſos dirigũt? Qui aũt hoĩes magis ſemetipſos di-
Rom.10. rigũt,q̃ Iudæi,qui ſuã q̃rentes ſtatuere iuſtitiã,iuſtitiæ dei nõ ſunt ſubiecti.Igitur inter pa-
ſtores & principes tuos ò rex Aſſur,in medio populi tui,qui ſup mõtes.i.propter altitudi-
nẽ ſupbiæ diſperſus eſt ò princeps mũdi huius: Maxime iſti cõſiderãdi ſunt,quorũ diſper-
Pſal.58. ſionẽ ipſe cũ antiquo cõſilio,qa iãdudũ antiquus ſpũs eius loquebatur: Deus oſtendit mihi
ſup inimicos meos,ne occidas eos,neqñ obliuiſcãtur populi mei. Diſperge illos in uirtu-
te tua.Factũ ẽ ſecũdũ illius antiquæ oſtenſiõis conſiliũ,qa uez primũ illi paſtores uel princi-
pes tui,

cipes tui, quos ita denotauit, ut diceret: q̄a ecce cœperunt animã meã, irruerũt in me fortes, dormitauerũt & ſepulti ſunt, circundati à Romanis, mortui ſunt, & in inferno ſepulti ſunt, & q ſuperfuit infelix populus diſperſus, & in oẽs gentes ductus eſt captiuus, & nõ eſt q cõgreget, q̄a qui ſolus congregat, & cõgregata reſtaurat Chrũs, illis ablatus eſt, & abijt ad gẽtes, et ſtabile fecit eſſe, qđ ſibi oſtẽſum eſt. Nec occidas eos, diſperge illos in uirtute tua. i. ne penitus eos euellas à terra, ſed ubiq; terrarũ diſperge illos in uirtute tua, in potentia tua. Cur hoc? Ne qñ obliuiſcãtur populi mei. Vnde notãdũ Iudæorũ diſperſionẽ ideo factã eſſe, ut nõ tm̃ in uno loco, ſed in omni terra fidẽ gentiũ cõfirmarẽt, dũ eũ à parẽtibus ſuis crucifixũ fuiſſe aſſererẽt, & ſcripturas in q̄bus nobis p̄dictus eſt, ſe habere nõ denegarent, atq; ita dũ uiuere p̄mitterẽtur, eorũ etiã teſtimonio, fides gentiũ certior haberetur. Tandẽ aduerſum te ò rex Aſſur cauſam dicit paracletus, cur uel quo de iudicio mũdũ arguere debuerit, quia tu iudicatus es. Nõ eſt (ait) obſcura cõtritio tua, peſſima eſt plaga tua. Cõtritio q̄ cõtritus es illa eſt qua cõtriuit mulier caput tuũ, iuxta dñi iudicis edictũ, qđ eduxit ſup te in initio dicẽs ad ſerpentẽ. Inimicitias ponã inter te & mulierẽ, & ſemẽ tuũ & ſemẽ illius. Ipſa cõteret caput tuũ, & tu inſidiaberis calcaneo eius. Inſidiaberis calcaneo beatę mulieris, beatæ Marię uirginis, imò & calcaneo ſeminis eius, qđ eſt Chrũs. Quod ipſe nõ ignorãs dicebat: Venit em̃ princeps mũdi huius, & nõ habet in me quicq̃. Propter hoc ip̃m qđ tu in illo quicq̃ nõ habuiſti, & tñ ad eũ ueniſti, q̃rens q̃ſi debitũ peccati. i. exigẽs pœnã mortis, cõtritus es calcaneo eius, uictus es fine. i. paſſione uel morte eius. Quis iſtã cõtritionẽ tuã nõ audiuit? In omnẽ terrã exiuit ſonus eorũ, & in fines orbis terræ uerba eorũ, ſcilicet cœlorũ, q iſtã gloriã filij dei enarrauerũt uel annũciauerũt, qđ ipſe moriẽdo cõtriuiſſet caput tuũ. Nõ igit̃ eſt obſcura cõtritio tua, q̄a vz clare in omnẽ terrã eſt enarrata, clare in fines orbis terræ ẽ annũciata. Proinde paracletus recte arguit mũdũ de iudicio, q̄a excuſare ſe nõ p̄t, quin audierit iudiciũ, q̊ iudicatus es, ſiue cõtritionẽ qua cõtritus es. Quis itidẽ nõ audiuit, q̄a peſſima eſt plaga tua? Eodẽ nãq; Euãgelio quo enarrat̃ uel annũciatur, iã dicta cõtritio tua, pariter enarratur, peſſima plaga tua, qua in cœlo plagatus es, ita ut caderes uidẽte dño te ò Satan, ſicut fulgur de cœlo cadentẽ. Plaga illa, plaga eſt gladij, plaga peſſima, ſed nõ peſſime, imò optime illata. Plaga peſſima ẽ, q̄a inſanabilis eſt, ſed optĩe illata ẽ, q̄a tu iuſtiſſime dãnatus ſiue p̄cuſſus es. Iuſtiſſime inq̃, q̄a tu nõ utcũq;, ſed ſup̄be peccaſti, homicida ab initio, q in ueritate nõ ſtetiſti, in q̊ ueritas nõ eſt, q cũ loqueris mẽdaciũ, ex p̄prijs loq̄ris, q̄a mẽdax es, & pater mẽdacij. Ita maligne peccaſti, & ob hoc peſſimã. i. inſanabilẽ excepiſti plagã gladij, & mirũ quod cũ plaga tua tã peſſima ſit, tu adhuc uiuis. Nõ quidẽ uere uiuis, ſed uiuere te mẽtiris, & quaſi te uiuentẽ defendis. Hinc eſt illa admiratio in Apocalypſi, de beſtia, quæ habet plagã gladij, & uixit, uel cuius plaga mortis ſanata eſt. Iuxta mẽdaciũ tuũ, plaga mortis tuę ſanata ẽ, & tu habẽs plagã gladij uiuis, ſed iuxta ueritatẽ dei, tã peſſima ẽ plaga tua, ut in æternũ inſanabilis ſit, & tu ita mortuus es, ut nunq̃ ullo modo ad uitã reſpirare poſſis. Sup hoc iudicio mũdus arguitur, mũdus tibi cõfœderatus, teq; in tẽplis, uel ſimulachris, ut deũ & quaſi uiuũ ueneratus, q̄a poſtq̃ iudiciũ tuũ in euãgelio Chriſti reuelatũ eſt, iuſtius arguitur, quiſq; à te nõ eſt ſeperatus. ¶ Omnes q audierunt auditionem tuã, compreſſerunt manum ſuper te. Auditionem audire, plus eſt q̃ ſimpliciter quippiam audire, ſicut aures audiendi habere plus eſt, quàm ſimpliciter aures habere. Vbi nanq; huiuſmodi uerba ſiue uocabula geminãtur, duplex auditus ſcilicet corporis & cordis exigitur, ſiue intelligitur. Ergo oẽs qui audierũt auditionẽ tuã, id eſt, audiẽtes crediderũt cõtritionẽ tuã, ſiue peſſimã plagã tuã, compreſſerũt (ait) manũ ſupra te, id eſt, q̃ deuotas egerũt gr̃as ei, qui contriuit te, qui plaga peſſima plagauit. Solent em̃ fideles & deuoti homines, cũ primũ audierint bonum nuntiũ, de operibus, ſiue beneficijs dei, citato pietatis affectu, oculos manusq; cõpreſſas ſubleuare, & cũ iſtis fidei ſignis, ſedentem ſuper thronũ domini altiſſimũ laudare & glorificare. Itaq; hoc dicto compreſſerũt manũ ſup te, magna ſignificatur abũdantia gratulationis & lęticiæ, iuxta conſiderationem iuſti iudicij, iuſtæ uindictæ. Quia ſuper quẽ nõ trãſiuit malicia tua ſemper? Interrogando ſuper quem non tranſiuit malicia tua ſemper, uehementius affirmat, quod ſuper omnes tranſierit malicia eius ſemper, ex quo enim per ſerpẽtem malignus, & malicioſus mẽtitus eſt dicens, nequaq̃ morte moriemini, comedite & eri

Iudæorum. diſperſio.

Rex Aſſur cõtritus a muliere & ſemine eius.

Gene. 3.

Iohan. 14

Pſalm. 18.

Plaga peſſima regis Aſſur.

Lucæ. 10

Iohan. 8

Apoca. 13.

Iohan. 12

Auditionem audire q̄d eſt

Cõprimere manus, congratulari eſt deo.

Gene. 3.

Ro.5. tis ſicut dij ſemp & inceſſanter, ex uno & per unũ in omnes homines malicia eius pertrãſij,
quemadmodũ Apoſtolus dicit: Quia per unum hominẽ in hunc mundũ peccatũ intrauit,
& per peccatũ mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccauerũt.
Pſal.50. Super quẽ ergo malicia eius nõ pertranſiit? Quis nõ in iniquitatibus cõceptus eſt? & quem
nõ in peccatis cõcepit mater ſua? Igitur cauſa hæc, cauſa magna eſt, cur ſuper te manũ cõ
preſſerint, oẽs qui audierũt auditionẽ tuã, quia te quidẽ cuius malicia ſuper oẽs per unum p
tranſiuit, unus homo, qui ſolus ſine peccato exiuit, dãnauit atq; cõtriuit, ipſos aũt de malicia
liberauit atq; iuſtificauit, qui audientes gauiſi ſunt, & gaudentes atq; credentes ſuper te ma
num compreſſerunt. ¶ Libri tertij & ultimi in Naum prophetam finis.

## PROLOGVS RVPERTI IN ABACVC PROPHETAM.

OCtauum prophetarum Abacuc iamdudum ingredi ardebat animus, dũ ad
huc in præcedente, ſcilicet Naum totus teneretur intentus. Adhuc enĩ circa
fines illius, uidelicet Naum meditatione ferè continua uerſabatur, & iã quaſi
de propinquo loco aliquo, illa huius uociferatio grandis audiebatur. Vſque
quo dñe clamabo, & nõ exaudies, uociferabor ad te, uim patiens & nõ ſalua
bis? Item: Domine audiui auditionẽ tuã, & timui. Fateor quia uim clamoris huiuſcemodi,
nõ ſine quodã diuino horrore audiebat auris interioris hoĩs, nãq; illuc igredi cupiebat, me
Pſal.118. mor illius uerſiculi, lætabor ego ſup eloquia tua, ſicut q inuenit ſpolia multa. Sentiebã aliqd
Matt.13. de cupiditate hoĩs negotiatoris, bonas margaritas q̃rentis, q tũc demũ unã ſe inueniſſe pcio
ſam magaritã, nõ uane arbitrat, cũ fidẽ uel iuſtitiã, q̃ Chrũs eſt, inuenit in lege & prophetis,
p quos ſine dubio locutus eſt ſpũs ſanctus. Nouit ipſe Chr̃s cordis paterni, cordis aurei mar
garita pcioſa, quaſi ſcrutãdo ſcripturas, ſcrutãdo prophetas, ipſum q̃rit, iſta ſcrutãtis aĩa ſan
ctũ inuocans ſpm̃, q locutus eſt p prophetas, ut pulchritudinẽ talis margaritæ, iã hic p hoc
ſpeculũ in iſto prophetici ſermonis ænigmate ſic poſtendit, quatenus eandẽ in futuro ſecu
lo ſemp poſſidere, & ſicuti eſt uidere, cõcedat: Dicit aũt Aplus, qa gloria noſtra, hæc eſt te
2.Corin.1. ſtimoniũ cõſcientiæ noſtrę, qđ in ſimplicitate & ſynceritate dei, & nõ in ſapiẽtia carnali, ſed
in gr̃a dei cõuerſati ſumus. Cũ hoc exẽplo, & illud ad cõſolationẽ accedit, ꝙ uos ò uiri ec
cleſiaſtici & religioſi, beneuoli & ſpũales amici, q̊s in procœmio explanatiõis Naũ pnomi
naui, paruitatẽ meã bona ſpe cõſolamini fructus percipiẽdi, his & huiuſcemodi uerbis. In
ſiſte igitur bone uir, & uiriliter age, & cõfortetur cor tuũ, ut delicijs quas in hac peregrina
tione ſummatim prælibas, tandẽ pleno ore in regno dei ſup mẽſam eius edens & bibens p
fruaris. Non igitur quaſi ſupra modũ grauatus detractionẽ cuiusq̃ ita uereat fidelis animus
ut à bono ſtudio decidat, & torpeat remiſſis manibus, imò ſtellionis memor ſit, q pẽnas non
Prouer.30. habens, manibus utitur, et moratur in ædibus regũ, et galli ſuccincti lumbos et arietis, nec
eſt rex qui reſiſtat eis.

# RVPERTI ABBATIS TVITIENSIS IN ABACVC PROPHETAM COMMENTARIORVM LIBER PRIMVS.

ONus quod vidit Abacuc propheta.] Quo tempore fuerit Abacuc, ex
Dan.14 Daniele docemur, ad quẽ in lacũ leonũ cũ prandio miſſus legitur, ait beatus
Hieronymus, quanq̃ apud Hebræos illa hiſtoria nõ legatur. Siue quis reci
pit ſcripturã illã, ſiue nõ recipit, hic tanq̃ propheta ſcribit, quę uẽtura cognoſ
cit. Et q̃uo prior propheta Naũ, quẽ hic ſequit, uaticiniũ habuit cõtra Nini
uen & Aſſyrios, q uaſtauerũt decẽ trib⁹, q̃ uocant Iſrl̃, ita iſte onus uidit, i. rẽ grauẽ, & põde
ris laboriſq; plenã, aduerſus Babylonẽ & Nabuchodonoſor, à qbus Iuda & Hieſlm tẽplũq;
ſubuer